



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1732. usque ad annum 1734

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1785**

**VD18 90119339**

§. 41. Binæ Universitates recens erectæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67683](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67683)

præclara fortitudinis specimina edidit, Sæc. XVIII.  
 sed Manheimii ardenti febre correptus A. C. 1734.  
 vigesimo ætatis anno morti succubuit.

Carolus Josephus Princeps de Lobkowiz trimulus puer; Ludovica de Quer-noualle Ducissa de Portsmuth, quæ ex Anglia Parisios delata, ibidem die decima quarta Novembris annos nata octoginta sex mortem oppetiit sepulta in Ecclesia PP. Carmelitarum; sequentis autem Mensis die vigesima prima anno ætatis quinquagesimo quarto e vita migravit Philippus Princeps de Lobkowiz Sagani Dux, Maria vero Remigia Vidua Ducissa de Offuna die prima Decembris plusquam quinquen-naria supremum vitæ diem egit, quam pari fato quarta post die sequebatur Carolina Rospigliosa Princeps Farnesia Ghigia.

§. XLI.

*Binc Universitates recens  
 erectæ.*

Hoc item anno celeberrimus Princeps & Abbas Fuldensis Adolphus de Dolberg natus Wormatiensis Camera-rius, Imperatricis Archi-Cancellarius, Abbatum Primas per Germaniam & Galliam, qui anno hujus sæculi vige-simo sexto die octava Aprilis in Abba-tem

Aaa 5

tem



Sæc. XVIII.  
A. C. 1734

tem electus erat, suum literarum celestias promovendi studium loculento testimonio comprobatum reddidit, dum in sua Metropoli Universitatem erectamque multis privilegiis auctam decima nona Augusti cum ingenti pompa per consuetas solemnitates inauguravit: Eadem quoque die in Facultate Theologica quatuor, in Juridica una & in Medica unus ex Academicis Doctoratus lauream promoti, & certum septendecim in Philologiae & Theologiae Magistros ac Baccalarios publice in Aula Academica a Revere[n]dissimo & Cancellario P. Johanne Gierhlio creati sunt. Hi pro notabantur ex Ep. Hebr. 2. v. 16. *deus nientius fuisset, si Verbum assumpturam angelicam, quam quod de factis sumpserit humanam?* Ad eundem quoque annum revocantur auspicia Universitatis Gottinganæ præstantissimis Doctoribus foecundæ, quam Georgius III. Angliæ Rex & Elector Hannoveranæ instituit, ab ejus nomine Georgio-Augusta dictam, in qua circa Festum S. Michaelis Auditoria Academica fuerunt aperta: solemnia autem inaugurationis primum anno supra millesimum septingentesimo trigesimo septimo de decima septima Septembris celebrata fuerunt.



Electoris vices agente Hannoverano Sæc. XVIII.  
 Confiliario intimo de Münchhausen: A. C. 1734.  
 Hanc Universitatem Carolus VI. Imperator ampliori adhuc, quam erat illud Caroli V. privilegio dotavit.

## §. XLII.

*Scriptorum Religione Catholicorum opera & decessus.*

Quorundam ex Scriptoribus Catholicis, qui hoc anno objere, opera recensere juvat; occurrit autem primo Claudius de Vic Benedictinus ex Congregatione S. Mauri, qui in Procuratorem Generalem electus, cum iter Romam aggredere, die vigesima tertia Januarii Reipublicæ literariæ ereptus est. Scripsit unacum P. Josepho Vaiseto ejusdem Instituti Viro Historiam Occitanæ Provinciæ; vitam quoque Mabillonii a Ruinartio scriptam latine reddidit, auxitque, plurimum quoque contulit ad Historiam literariam Franciæ. II. Erasmus Gattola seu a Cajeta itidem Benedictinus Cassinensis, Vir omni eruditionis genere excultus, & a singulari humanitate commendatus. Hic manum, seque totum in literarium Mabillonii usum impendit, ipsusque Historiam Montis Cassini edidit. Obiit ibidem die